



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

An Sancti mortui sint inuocandi adoratione diuina & religiosa?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

rum. 2. Et Rerum: quæ duo toto genere inter se differunt: at Dei cultus, & Modus colendi solum accidente discrepant. Ideo Communior hæc duo in primo coniungit, illa disjungit rectius. Iam ad singulas Suauitunculas.

AD I. Respondi. In loco Rom. 7. dolum & corruptelam facit hæreticam: non ibi docet Apostolus præcepti huius summam esse, *Non concup.* sed ait: *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non Concup.* Vbi Lex non significat vnum præceptum; sed totum Decalogum, poniturque vox totius pro parte.

AD II. Nos sequimur Ordinem in Exodo positum, vbi recitatur Decalogus, velut ex igne datus est: in Deuteronomio refertur ex occasione: (Recipe responsionem tuam; non tuam; sed meam.) Ideo confusionis metus nobis nullus est.

AD III. S. Ambrosius id ait dubie, *Videtur*: non dogmaticè seu affirmate. Et Eph. 6. est pro nobis, esse quartum præceptum, & non quintum.

AD IV. Supra respondi. Concupiscentiæ species sunt duæ: Personæ; & Res quæcunque.

AD V. Pater ex responsione ad secundum.

AD VI. Opinaris? Iam seis secus ex supra dictis: Nostra sententia est communis, ac peruetus illa tertia. *Novate* tamen dico vos distinguere: quia improbabiliorẽ primam sequimini non vt veriorẽ; sed ne steris nobiscum in tertia. Ideo hæresis dicitur ab *αἰρεσις*. S. Augustinus vero Dogmaticè scribit, & asserit cordate: Minister affingit ei Allegoriam. Et, quæstionum illarum S. Augustinus non est autor.

Quare nil mentitur Ioannes Davidis Iesuita; sed Minister *mentitur* eum mentiri: patet enim supra antiquitas sententiæ tertiæ. Quatenus autem Calvinistæ sunt in hoc Nouatores, **DIXI.**

Denique (tua recipe verba) *Quis non miretur, Lector in hoc negotio toto Ministri astutiam, audaciam, Mendacium? Astute Augustinum & Antiquitatem suam facit. Audaci quoque & impudentissimo mendacio affirmat contra Iesuitam, O frontem! O impudentiam! sed mirari lector desine: Calvinistæ, non Iesuitæ hæretici sunt: Et ipso etiam Bellarmino indice lib. de Matr. cap. 17. §. 43. recte dixit*

Augustinus, Frontem hæreticorum non esse frontem. Et, ait Demosthenes orat. 1. contra Aristog. quæ ex re impudens appellatus est, nisi quia ista, quæ neque sunt, neque facta sunt, propter impudentiam palam dicere non pudet.

Concludo hanc quæstionem verbis ipsius iterum Bellarmini in Conc. 9. circa finem: Et si vera esset doctrina hæreticorum, num apertis mendaciis eam confirmare debuerunt? Nonne satius est millies obmutescere, quam semel mentiri? Quid erit vnquam opus diaboli; si hoc non est? Et lib. 1. de Sac. cap. 2. §. 1. probat illud Lutheri dictum in libro contra Emserum: Si semel deprehenderet ita mentitus, falsus, & crasse stolidus; iam tota mea doctrina, & honor, & fides, & fidelitas finem penitus haberent; Vnusquisque me pro nequam, & infami nebulone, vt æquum est, habiturus esset.

Huc vsque Ministri inuectiua in Iesuitam; & ego retorqueo in Laurentium Apologistam, & Calvinistam.

Ecce tuam tibi reddo, boni tu consule, pilam.

AD QVÆST. XCIV.

Quid postulat DEVS in primo præcepto?

CALVINVS Inst. l. 2. c. 8. §. 11. habet similia Catechesei. **MINISTER.** Pater: huc pro certa fiducia ponit simpliciter credere & sperare. Item, Omnia bona expectanda à solo Deo, addit, vt Deo. De vtroque qq. 21. 26. 19. 30.

Item: Non fugiendam *inuocationem Sanctorum; sed caterarum creaturarum.* Negat Angelos aut esse Sanctos? aut Creaturas? Sanctos & nos esse dicimus.

RESPONDEO. Dico idem; cum Ecclesia Dei.

An Sancti mortui sint inuocandi adoratione diuina & religiosa?

MINISTER. Negamus, vt prohibitum primo Dialogi. 1. Quia non vult Deus, vt adoremus vllum Deum alienum. i. aliquid Extra vel Præter se: at Sancti & Angeli sunt extra, & præter Deum vnum. Ergo. 2. Quia Matr. 4. *Dominum DEVM tantum adorabis, & illi SOLI seruis.* Vbi futilis est Poni ficiorum exceptio: quod adoratio conuenit etiam creaturis non anima

sem servitus latria. Et, quod *Vocatur gentilium Deorum adoratio.*

3. Rom. 10. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Atqui non in Sanctos credimus: Quod fateatur Parochus reponens illud, in ipsum *SOLEVM credam ac sperem.* Sed ob vim huius argumenti dicunt Pontificii, etiam in Sanctos credere nos & sperare debere. Ita Bell. *lib. de Sanct. cap. 20 §. 5.* & Hofius. Malunt Papistæ fidem in Deum violari, & Scripturam perverte; quam idololatriæ suæ renunciare.

4. Psal. 50. *Inuoca ME. Matt. 11. Venite ad ME omnes.* &c. Et hac de causâ docent Theologi nostri, ipsum Christum non invocari à nobis quatenus Homo est & creatura; sed quia Deus: propriū enim & adæquatum adorationis in Christo subiectum est Deitas, non Humanitas: Itaque adoramus totum Christum, non totum Christum. Proinde hoc sensu non male scripsit ex nostris Lamb. Danæus: eos, qui invocationem ad carnem Christi dirigunt, ipsius ore Dei esse maledictos.

5. F. tenetur Pontificii, invocationem Sanctorum non esse explicite præceptum in Verbo Dei: & ideo eam ad Traditionem non scriptam referunt: vt *suprà q. 21.* Sic Eckius in *Enchi. art. 15.* Salmeron in *1. Tim. 2. disp. 7.* Accipimus confessionem hanc.

6. Ita Patres: Epiph. 1. 2. hæc. 64. *Omne, quod creatum est, non est adorandum.* &c. Ambrosius 1. 1. de fide c. 7. lib. 2. de Sp. S. c. 6. Aug. 1. de vera relig. c. 55. *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pii. &c. honorandi sunt propter imitationem; non adorandi sunt propter Religionem.* Idem lib. de cura pro mortuis c. 13. *Ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quacunque aguntur.* Hieron. Cyrillus Alex. Epiph. 1. 3. hæc. 79. *Revera sanctum erat corpus Mariae; non tamen DEVS. &c. erat Virgo honorata; sed non ad adorationem nobis data; sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est. &c.*

RESPONDEO ad istavniuersim in meo Luthero-caluinista par. 1. q. 75. 76. 78. & in Antichristo p. 1. q. 22. In Genealogia p. 1. q. 21. In Antipapista Mendace par. 1. q. 6.

AD I. Maior, absolute sumpta, de Colendis, falsa est; de cultu Latriæ, vera.

AD II. Soli Deo latria. Vbi (tua recipe verba) *futilis est hæreticorum ad nostram Exceptionem garritus, quod Latriam soli dicamus Deo, Adorationem aliquam sc. Dulciæ Sanctis tribuendam.* Dicunt; non docent; everso fundamento in prima obiectione.

AD III. Eadem responsio: adorabunt Latreuticis: at non sic adoramus sanctos; neq; Sic in eos credimus, VT IN DEVM SOLVM:

Hoc vero dictum meum rapiens Minister in causam suam, agit Sycophantam, & prodit ino-

piam suam, studiumq; emendicandi fulcimenta desperatæ suæ causæ vndecumq; potest. Dixi; dico: *In vnum solum DEVM credo & spero;* religione latriæ; at & in Sanctos, religione dulcetica. Hanc speciem religionis doceat non esse debere, aut posse: cæteroquin meras nugas nugacissimas nugatur nugaculus. Facit indignatio versum. Tun' nos Idololatriæ insimulabis? (Tua recipe verba:) Malunt Calvinistæ cum Apologista Laurentio *Fidem in Deum negare,* blasphemantes eum in Sanctis suis, quam Hagiomachia sua renunciare, ac Theomachia

AD IV. *Inuoca me,* scil. vt Deum vnum. (Tua recipe verba:) *Et hac de causa, docent:* blasphemant nostri Theologi: Theomachi Calvinistæ dicentes: *Ipsum Christum non invocari ab nobis Calumnistis, quatenus Homo est.* At nos Romano-catholici Christiani Christum nostrum Homine invocamus Hyperdulceticis; ob Vnionem Hypostaticam Humanitatis cum Deitate. Naturam Christi adoramus vt Deum; Personam vero vnam gradu paulo inferiore: atq; hoc etiam inferiore sanctos; ob horum spiritalem cum Deo vnionem, inque Capite vno Mediatore Communionem: qui vt cohæredes sunt Christi hæredis; ita & Commediatores Christo longe inferiores.

AD V. Sanctorum invocationem non præceptam, sed traditam fatemur: quid igitur? Ergo eliminandam, damnandam: iam maxima pars Bibliorum abiicienda erit, totumq; Nou. Testam. aliaq; in Christianismo complura, quibus nec ipsi Luthero-caluinistæ carere vellent.

AD VI. Eisdem S. Patribus eisdem oppono ex Bellarmino *lib. 1. de Sanct. c. 18. 19.* Quocirca cū de Sanctis non adorandis scribunt, intelligēdi sunt de cultu Latriæ: at de Dulciæ, cum adorandos hortantur. Ita S. August. dicens, *non adorandi propter Religionem* subaudi Latreuticam. Denique, *Sancti res nostras nescire* dicuntur, scil. ex seipsis: at in Deo reuelante & omnia vidente videre possunt ac scire quantum eis reuelatur. Vide in *Luthero-cal. p. 1. q. 77.* De ipara quoque non est data nobis adoranda, scil. cultu Latriæ. Ergo sunt adorandi Sancti ipsis Sactis Patribus ita docētib; (tua recipe tibi vana, vera nobis verba) *Intelligat Lector, vel ipsi etiam tandem aliquando intelligant*

aduersarij, quam nos hic simus veri ac genuini Patrum veterum filij. Quemadmodum sentimus, ita etiam dicimus, cum iisdem S. Patribus apud Bellarminum.

AD QVÆST. XCV.

Quid est idololatria?

CALVINVS *Instit. lib. I. c. II § 10. II 16.* &c. proclamat Romanocatholicos de proptie dicta idololatria; ethnicorum simili.

MINISTER, Magistri sectarius, ideo suggillat Excaluinizatoem, de infer-tuncula *ceu Deum* adorare aliud loco Dei: Negatque fieri posse, vt non sit idololatria vel ipsum *Adorare* aliud præter Deum; tamen si id non apprehendatur vt Deus: quod idololatriam faciat actus; non opinio nostra vel scientia. Sicut Phil. 3. *Venter eorum Deus* dicitur. Col. 3. *auaritia idololatria.* Exod. 32. *Vitulum aureum Deus manuum* hominum &c. dicit appellarent DEVM, non tamen credebant &c. nihilominus vere erant idololatæ. &c. Ita & Papistæ.

RESPONDEO. Verba dat Minister Verbi inania; & suadere nititur, quem *Docere* deficit. Finis & intentio nostra denominat actum & determinat omnem bona bonum, malum mala; quod vel scholares ethicelli sciunt: norunt quoque theologastri & Calistuli neophyti, posse actum in se esse malum, sed materialiter tantum, si abfuerit agentis intentio mala: posse actum in se bonum materialiter, esse malum formaliter, si ex intentione mala promanarit. Ita res habet cum Adorationis actu, respectu finis: quicquid reclamet Caluinus *Inst. I. I. cap. 11. §. 9. 16. Venter & auarus.* &c. dicitur idololatra, sicut diuitiæ dicuntur *Mammona*, & Iudas diabolus: Nisi *venter* &c. pro fine absolute ultimo habeatur ab atheo.

AD QVÆST. XCVII.

An nulle ergo fingenda sint imagines, aut simulacra?

CALVINVS *Instit. I. 2 cap. 8 § 17.* contendit secundum Decalogi idola, omnesque imagines excludere. Idem *I. I. c. 11 §. 1. 2.* Ideoque Papistas infamare. §. 3. 5. 6. 7 &c.

MINISTER cum Catechismo idem pertendit, moxque quaternas quaestiones.

I. An DEVS aliqua ratione effingi possit?

CALVINVS *Instit. I. I. c. II* toto negat. MINISTER cum Catechesi negat. Suadet 1. Quia Essentia De est spirit. lis, immensa, & inuisibilis. *Act. 17. 24. 19.* Sic & Patres Orig. Aquinas, Bell. id. eoque ait Damasc. l. 4. de fide cap. 17. infigurabilis.

2. Bellar. l. 4. c. 8. fatetur, Qui Deum perfecta similitudine formæ ac naturæ pingere tentaret, is verum idolum constitueret: pingit tamen posse ad historiam aliquam representandam, aut per analogiam, prout apparuit. Sic & Patochus: *Quoad essentiam, effigiari nequit; quoad nostrum intelligendi modum, potest.* At sic & Ethnici Deos, Deasque suas pinxerant in forma, qua apparuerant; ad significandum certas eorum proprietates.

RESPONDEO: Minister neutro quicquam vel apparenter cuincit.

AD I. Idem asserimus ipsum.

AD II. Minor est impia, comparans Veri Dei vnus veras apparitiones, cum Gentilium Deorum fictis apparitionibus, aut diabolicis. Iraque in Deo Patre & S. Spiritu: effigando sequimur S. Scripturam, vsusque Ecclesiæ, iuxta nostrum intelligendi modum, phantasmata speculantem.

II. An DEVS aliqua ratione effingi debeat? id est, an liceat?

MINISTER ex Caluino & Catechesi negat; & addit: *Ed impietatis in Papatu deuentum est, vt in multis locis, ad Vnitatem scil. in Trinitate magis exprimendam, (cum horrore hæc scribo, & intimo cordis iussu) depictum videas vnum hominem tribus faciebus, vel vnum cum duobus capitibus & in medio eorum columbam: Quasi Cerberum quandam tricipitem, vel lanam trifrontem conficias.*

Suadet 1. Quia secundo præcepto Deus principaliter verat, ne fiat vlla imago sui. *Exo. 20. 23. Deos autem & argenteos non facietis mecum.* id est, mihi, vel imagines, que Me representant. Quam interpretationem admittit Bell. l. 2. de imag. c. 8. Et ponit istud, *Deut. 4. Vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti. Obserua ergo teipsum, ne forte deceptus facias tibi vllam similitudinem.*

2. Sic etiam quidam Pontificii, test. Bellarmino: & Conc. vi. Generale, can. 82. Ipseque Bellarminus aperte